

nes cardinalium hinc inde allegatas in debita forma videre non licuit.

216. *Et quæ, si talibus animarum cura subest?* — Resp. IV. Ad dignitates, et ministeria ecclesiastica quæcumque, quibus animarum cura subest, nullus promoveri potest, nisi (præter alia requisita) vigesimum quintum ætatis annum attigerit. Ita habetur in d. c. *Cum in cunctis*, § *Inferiora*, h. t., ubi dicitur: « Inferiora etiam ministeria, ut puta, decanatus, archidiaconatus, et alia, quæ curam animarum habent annexam, nullus omnino suscipiat, sed nec parochialis Ecclesiæ regimen, nisi qui jam vigesimum quintum annum ætatis attigerit. » Concordat concil. Trident., cit. sess. 24, cap. XII, *de Reformat.* ubi allegata decretalis innovatur. Et hoc procedit, sive cura animarum dignitati incumbens sit fori pœnitentialis, sive jurisdictionalis tantum, text. clar., c. *Dudum*, 54, § *Licet autem*, vers. *Sed cum in jure*, h. t., ac notat Abbas, ibid., n. 7 et 8; Fagnanus, loc. cit., n. 32; Barbosa, et alii.

217. *In episcopis requiritur ætas triginta annorum completorum.* — Resp. V. Ut quis possit eligi in episcopum, requiritur ætas triginta annorum completorum. Patet hoc ex cit. c. *Cum in cunctis*, § 1, h. t., ubi concilium Lateranense statuit, ut « nullus in episcopum eligatur, nisi qui jam trigesimum annum ætatis exegerit, » hoc est, compleverit; adeo, quod nec dies deficiat, ut loquitur Hostiensis, in *Summa*, n. 9, h. t. Idque ex eo statutum esse videtur: quia hæc est perfecta ætas hominis. Unde et Joseph, cum esset triginta annorum, accepit regimen Ægypti, *Genes.*, cap. XII, 46. Et David fuit annorum triginta, cum regnare cœpisset, II *Reg.* v, 4. Et ipsemet Christus Dominus trigesimo anno baptizatus fuit, ac prædicavit, *Luc.* III, 23, et can. *Presbyter*, dist. 78; Fagnanus, ubi supra, n. 22 et seqq.

218. *In eligendis requiritur insuper thorus legitimus.* — Queritur III. Quænam aliæ qualitates, ac præsertim concernentes gravitatem morum, requirantur ex parte eligendorum? Resp. cum communi, tales esse plures ac præsertim sequentes. Et quidem requiritur

I. *Thorus legitimus*, hoc est, quod quis ex legitimo matrimonio procreatus fuerit: illegitimus enim cujuslibet beneficii incapax est, nisi cum eo dispensetur, ut cit. c. *Cum in cunctis*, juncta Glossa, vers. *Matrim.*, h. t., atque amplius patebit ex dicendis, tit. *de Fi-*

liis presbyterorum, et tit. *Qui filii sint legitimi.*

219. *Et status clericalis.* — II. *Status clericalis*; videlicet, ut quis saltem prima tonsura initiatus sit. Nam alias quilibet, et ad quodlibet beneficium, inhabilis existit; adeo quidem, ut non sufficiat, post illud jam acquisitum tonsurari, arg. c. *Ex litter.*, 6, *de Transact.*, et notat Glossa fin., et Abbas, ibid., n. 3, id limitans, nisi Papa dispensaverit cum laico, ut possit eligi, ac postea primum tonsurari: prout nonnunquam contingit circa magnorum principum filios, maxime in Germania, refert Sannig, h. t., c. II, n. 2. Aut nisi ejusmodi electio fiat ex speciali instinctu Spiritus sancti; prout sanctus Nicolaus, et sanctus Ambrosius, ex laicis fuerunt electi in episcopos, ut refertur can. *Statutum*, § *Econtra*, dist. 61. Alioquin vero electio laici ad prælaturas ecclesiasticas, est ipso jure nulla; eo quod per electionem datur de præsentibus electo, laicus vero sit incapax omnis juris ecclesiastici, c. *Causam*, 7, *de Præscript.* Unde laicus potest quidem postulari (cum per postulationem nullum jus tribuatur) non autem eligi ad prælaturas. Passerinus, cap. xxv, *de Election.*, n. 341.

220. *An etiam ordo sacer?* — III. *Ordo sacer*. Licet enim ad beneficium simplex per se, et quantum est de jure communi, sufficiat prima tonsura, dummodo illud ex sua institutione non requirat certum ordinem: nihilominus ad canonicatus, et portiones cathedrales, ex dispositione concilii Trident., sess. 24, c. XII, *de Reformat.*, requiritur ordo sacer. Item, ad archidiaconatum requiritur ordo diaconatus; ad decanatum vero, atque ad alia beneficia, quæ curam animarum habent annexam, sicut ad regimen Ecclesiæ parochialis, requiritur ordo presbyteratus, vel jam receptus, vel saltem intra tempus a jure præfixum (hoc est, intra annum) recipiendus; ut c. *Cum in cunctis*, 7, § *Inferiora*, h. t., et c. *Licet canon*, 14, eod. in 6, ubi promotus ad Ecclesiam parochialem jubetur intra annum, a tempore commissi sibi regiminis numerandum, ad sacerdotium promoveri; sin minus, elapso anno Ecclesia sibi commissæ est ipso jure privatus. Quanquam rigor, cit. c. *Licet canon*, locum non habeat in collegiatis parochialibus Ecclesiis, et assumptis ad earum regimen; eo quod sit pœnalis, ac proinde potius restringi, quam extendi debeat, prout declaratur, cit. c. *Statutum*, 22, h. t., in 6. Ubi et subjungitur, in his servanda esse antiqua jura, juxta quæ tales, si ordinem præscrip-

tum recipere neglexerint, non ipso jure, sed post præviam monitionem, ac per sententiam primum, suis beneficiis privari jubentur; ut cit. c. *Cum in cunctis*, § *Inferiora*, ac notat Glossa, in d. c. *Licet canon*, § *Canon*. Adde dicenda inferius, tit. *De Ætate, et qualitatibus, et ordine præficiendorum*, n. 32 et seqq.

221. *Item absentia censuræ, atque irregularitatis.* — IV. *Absentia censuræ, atque irregularitatis*; hoc est, ut quis non sit detentus ullo juris impedimento, ut puta, irregularitate (sive hæc ex delicto, sive ex defectu oriatur) vel excommunicatione, aut alia censura ecclesiastica. Collatio siquidem beneficii, sicuti et electio ad illud, nulla est, ipsoque jure irrita; si fiat excommunicato excommunicatione majori, vel suspensio, aut interdicto; prout patet ex c. *Postulastis, de Cleric. excommunicat.*, et c. *Cum dilectus de Consuetud.*, et c. 1, *de Postulat. prælat.*, cum concordantiis. De irregularibus idem patet, ex can. *Non confidat.*, dist. 50, et can. *Præcipimus*, dist. 34, et alibi, ubi irregulares etiam a suspensione ordinum repelluntur.

222. *Electio excommunicati excommunicatione minori, aut collatio beneficii eidem facta, an valeat?* — Additur tamen, « Excommunicato excommunicatione majori » quia si beneficium conferatur excommunicato excommunicatione minori, vel hic ad illud eligatur, collationem aut electionem non esse ipso jure irritam, sed irritandam per sententiam judicis, desumitur, ex c. *Si celebrat.*, 10, *de Cler. excomm. minist.*, ubi de excommunicato excommunicatione minori, dicitur: « Si tamen scienter talis electus fuerit, ejus electio est irritanda: » et consequenter non ipso jure irrita; cum hoc nupiam alibi sit expressum, simulque hæc materia, veluti odiosa, et pœnalis, sit restringenda. Lessius, lib. II, *de Just. et jure*, cap. xxxiv, num. 206; Suarez, disp. 24, *Censuris*, sect. 2, n. 2; Pirhing, *de Cleric. excomm. minist.*, n. 47; Passerinus, cap. v, *de Elect.*, n. 475; Barbosa, cit. c. *Si celebrat.*, n. 3, contra Glossam, ibid., vers. *Privatus*, et abbatem, n. 3; Hostiensem, et quosdam alios; qui postmodum allegatum ly « est irritanda » explicant per ly « est irrita declaranda. » Sed prior sententia est probabilior, ob rationes jam adductas.

223. *In eligendis ad beneficia ecclesiastica requiritur vera fides.* — V. *Vera Fides*. Nam infideles, seu non baptizati, jure divino sunt ineligibiles ad beneficia ecclesiastica: cum

baptismus sit janua ingrediendi Ecclesiam Dei, et fundamentum cæterorum sacramentorum, can. *Cum itaque de Consec.*, dist. 4, sicque sine eo nemo sit capax characteris ordinis, neque ullius jurisdictionis, aut administrationis ecclesiasticæ, cum Ecclesiam necdum ingressus sit.

224. *Adeo, ut hæretici, et schismatici sint ineligibiles.* — Insuper ex defectu veræ fidei, sunt ineligibiles hæretici; ut c. *Quicumque, § Hæretici de Hæretic.*, in 6, ac alibi. Sicut et schismatici, arg. c. *Quia diligentia*, 5, h. t., ubi electio schismatici ad unionem Ecclesiæ redeuntis, dispensative solum permittitur confirmari; ac notat Abbas, ibid., n. 1, et Barbosa, n. 2, et alii.

225. *Neophytus, quis? Et an possit eligi in episcopum?* — Quin etiam Neophytus (hoc est, noviter conversus ad fidem) prohibetur eligi, atque ordinari in episcopum: tum ne in superbiam elatus, in judicium incidat diaboli, ut inquit Apostolus, I *Timoth.*, III, 6; tum ne magister esse velit, qui necdum fuit discipulus: et qui heri erat in theatro, hodie non sedeat in Ecclesia, etc., ut pluribus notatur, dist. 48, § 1 et can. 1. Dummodo hinc excipiatur specialis revelatio divina; qualis intervenit in electione sancti Ambrosii episcopi, can. *Statuimus, § Econtra*, dist. 61.

226. *Infamis nequit eligi.* — VI. *Ut non sit infamis*. Nam, ut habet reg. 87 juris in 6. « Infamibus portæ non pateant dignitatum, » cum concordantiis. Quia enim vita pastoris debet esse exemplar subditis, can. *Cum pastoris*, 2, q. 7. Et totus ordo nutabit, si quod requiritur in corpore, non invenitur in capite, c. *Miramur*, dist. 61, haud immerito infames repelluntur a prælaturis, et dignitatibus ecclesiasticis. Accedit, quod infames infamia juris, etiam censeantur irregulares; ut can. *Infames*, 6, q. 1, ubi, cum dictum fuisset, fures, sacrilegos, incestuosos, homicidas, perjuros, raptos, maleficos, adulteros, et alios, ibidem enumeratos, de jure infames esse: subjungit textus: « Hi omnes, inquam, nec ad sacros gradus debent admitti. »

227. *Infamiam juris non inducunt crimina, nisi sint publica.* — Notant tamen doctores, atque in nostra *Theologia morali*, tract. XIII, dist. 3, n. 20, uberius jam dixi, quod crimina illa, quibus infamia ipso jure annexa est, hanc non inducant, nisi quando publica sunt: secus, quamdiu sunt occulta. Quia enim infamia consistit in læsione bonæ famæ; sicut hæc sine publica rerum notitia comparari

requit, ita nec infamia incurri ob crimen nere occultum. Concordat, c. *Ex tenore*, 4, etc. *Quæsitum*, 17, de *Temporib. ordinat.*, ubi reclusus criminosus, puta reus adulterii, perarrii, vel hujusmodi (excepto homicida) post pœnitentiam potest in ordinibus jam susceptis ministrare, nec debet in suscipiendis impediri: et consequenter talis, quamdiu crimen est occultum, non censetur infamis, neque irregularis.

228. *Privatus voce passiva eligi prohibetur.* — VII. *Utque non sit privatus voce passiva*, sive a jure, sive ab homine: nam talis hoc ipso eligi prohibetur. Sic censetur ineligibilis, ac impostulabilis, qui non servat interdictum, ut cap. 1, de *Postulat. prælat.* Similiter, si in eujuspiam electione, seu promotione ad prælaturam intervenerit simonia, tunc is in detestationem tanti criminis redditur omnino ineligibilis, ac incapax talis beneficii, licet ipso ignorante pecunia ab alio fuerit data; dummodo hoc non sit factum in fraudem electi; ut c. *Nobis fuit*, 27, de *Simonia*, et cap. penult. de *Elect.*, et alibi. Simile quid accidit in illis casibus, ubi per statuta particularia, præsertim apud regulares, certis delinquentibus ipso facto imponitur pœna privationis vocis activæ, et passivæ: quanquam apud istos plerumque talis pœna non incuratur, nisi post declarationem a prælato factam; prout de Ordine Fratrum Prædicatorum monet Passerinus, cap. xxv, de *Election.*, ac in Ordine Fratrum Minorum ordinant statuta generalia, cap. vii, § 6, n. 40.

229. *Rejectus ab electione an sit ineligibilis?* — VIII. *Nec sit rejectus ab electione.* Nam licet is, cujus prior electio fuit cassata non vitio personæ, sed vitio formæ electionis (puta, ob non servatam formam in c. *Quia propter*, h. t., præscriptam) iterum eligi possit, non solum ad aliam, sed etiam ad eandem Ecclesiam; secus tamen est dicendum, si electio eujuspiam cassata fuit vitio personæ, sive ob crimen ipsius vere commissum, atque probatum. Talis enim indistincte est ineligibilis, adeo ut nec in eadem, nec in alia Ecclesia eligi valeat; ut c. *Super eo*, 12 h. t. ac notat Glossa ibid. vers. *Non vitio personæ.* et Abbas, n. 3, ac Barbosa, n. 2; Miranda in *Manuali prælat.* tom. II, q. 23, art. 11, concl. 5; Passerinus, cit. cap. xxv, n. 634, allegans alios.

230. *Rejectus ab electione, an sit ineligibilis?* — Et hoc procedit, etiamsi postea crimen illud ob quod cassata fuit prior electio, plene

fuerit emendatum, et sublatum. Pirhing, h. t., n. 109. Nam textus in cit. c. *Super eo*, h. t. ac doctores allegati, loquuntur indistincte: simulque rejectus ab electione ex vitio personæ, seu propter crimen admissum, redditur infamis infamia facti; qualis notat ipsam personam, eamque sequitur, sicut lepra leprosum, can. *Cito turpem.*, 1, q. 1.

231. *Rejectus ab electione, an sit ineligibilis?* — Secus dicendum, quando prior electio fuit cassata non ob crimen electi, sed ob vitium corporis, ut puta, ob aliquam infirmitatem: nam si ille postmodum plene ab illa infirmitate convaluerit, non impeditur nova ejus electio: cum hic nulla consurgat infamia facti. Abbas in cit. c. *Super eo*, n. 3, h. t.

232. *Quid dicendum in dubio, num electio fuerit cassata vitio formæ vel personæ?* — In dubio autem, num electio fuerit cassata vitio personæ, an vitio formæ (quale dubium oriri posset quando electio absque expressione causæ simpliciter cassatur) tunc pro ejus resolutione oportet uti distinctione. Quia aut opponebatur solum contra formam; et præsumitur cassata vitio formæ, seu ob non servatam formam: nam sententia simpliciter prolata debet intelligi secundum acta, ut l. *Si præses*. ff. de *Pœnis*. Aut opponebatur solum contra personam: et præsumitur cassata vitio personæ, ob rationem dictam. Aut opponebatur contra formam, et personam simul; vel etiam ipsa electio rejicitur ex officio superioris nemine opponente: et tunc in dubio præsumitur cassata vitio formæ; siquidem stante dubio, in odiosis facienda est benignior interpretatio, juxta reg. 49 juris in 6; cum concordantiis. Abbas, loc. cit. n. 6. Baldus in cit. *Super eo*, n. 1, h. t. Passerinus, loc. cit. n. 641, et alii.

233. *Eligendus debet esse de gremio capituli, saltem de honestate.* — IX. *Et sit de gremio.* Hoc est, quod eligendus sit de gremio Ecclesiæ, capitali, diœcesis, aut provinciæ, ubi fit electio (dummodo ibi reperitur idoneus) non autem extraneus, aut peregrinus. Siquidem electus de gremio Ecclesiæ, ut in pluribus consuevit esse utilior ad bonum commune, quia magis diligit Ecclesiam, in qua nutritus est, prout notat D. Thomas 2, 2, q. 63, art. II, ad 4. Simulque tales, qui antea ignorati fuerunt, non sunt præponendi clericis jam emeritis in suis ecclesiis, can. *Nec emeritis*. et can. *Nullus invitis*. et can. *Obitum*, dist. 61. Quanquam eligere aliquem de gremio Ecclesiæ, non sit de necessitate,

sed solum de honestate: atque ideo electio extranei facta a majori parte capituli sit valida, et confirmanda, quando aliud canonicum non obstat. Glossa c. *Cum inter canonicos*, 21, vers. *Aliam*. h. t. rejiciens aliorum sententiam, et ibi Abbas n. 9, et Barbosa n. 2; Miranda, cit. quæst. 23, art. 21, concl. 1. Passerinus, d. cap. xxv, n. 649, allegans alios.

234. *Aliæ qualitates eligendi. Remissive.* — Tacentur aliæ qualitates ex parte eligendi requisitæ: ut quod « sit corpore sanus, » ita ut officio suo rite fungi valeat: « Conditione liber, non servus: nec bigamus, » ac hujusmodi. Nam, cum talia requirantur ad ordines sacros rite suscipiendos, can. *Infames*. 6, q. 1, cum concordantiis; multo magis ea desiderantur in eligendis, ac promovendis ad prælaturas ecclesiasticas.

§ X.

DE ELECTIONE DIGNIORIS PRÆ MINUS DIGNO.

235. *Dignus, et dignior respectu beneficii ecclesiastici; quis?* — Quæritur I. An licite possit eligi dignus, omisso digniori? Ubi sciendum, quod *Dignus* respectu beneficii ecclesiastici dicatur ille, qui habet sufficientiam, omnesque qualitates de jure requisitas, ad ejus ministerium rite obeundum. *Indignus* vero cui deest aliqua ex qualitatibus ad ministerium beneficiale de jure requisitis. Cæterum *Dignior* censetur, qui comparatione aliorum majorem sufficientiam, aptitudinemque ad ministrandum habere dignoscitur.

236. *Major dignitas eligendi, unde mensuranda?* — Et quidem isthæc major sufficientia, dignitasque non præcise mensuranda est ex majori doctrina, vel majore vitæ probitate, aut generis nobilitate; sed conjunctim ex omnibus animæ, et corporis dotibus, ipsaque aptitudine ad regendum: adeo, ut omnibus insimul consideratis, ecclesiæ, sive prælaturæ, cui præficitur, cæteris utilior fore credatur. Unde divus Thomas, 2, 2, quæst. 185, art. 3, inter alia notanter sic inquit: « Et ideo ille, qui debet aliquem eligere in episcopam, vel de eo providere, non tenetur assumere meliorem simpliciter, quod est secundum charitatem: sed meliorem quoad regimen Ecclesiæ, qui scilicet possit Ecclesiam et instruere, et defendere, et pacifice gubernare. » Idipsum præter communem aliorum doctrinam, satis indicat concilium Trident. sess.

24, cap. 1, de *Reformat.* dum monet « digniores, et Ecclesiæ magis utiles esse præficiendos. » Hoc prænotato,

237. *Ad prælaturas, et beneficia ecclesiastica non nisi digni sunt eligendi, seu promovendi.* — Resp. I. Certum est ad prælaturas, aliaque beneficia ecclesiastica, non nisi dignos, atque idoneos esse eligendos, seu promovendos. Ita unanimis doctorum: nam rectæ rationi adversatur, assumere ad officium spirituale personam inidoneam: atqui beneficium ecclesiasticum datur propter officium, cap. ult. de *Rescript.* in 6. Hinc concilium generale, relatum in c. *Grave nimis*. 29, de *Præbend.* deplorans contrariam quorundam praxin, gemebunde pronuntiavit: « Grave nimis est, et absurdum, quod quidam Ecclesiarum prælati, cum possint viros idoneos ad ecclesiastica beneficia promovere, assumere non verentur indignos, quibus nec morum honestas, nec litterarum scientia suffragatur: carnis sequentes affectum, non judicium rationis; unde quanta Ecclesiis damna proveniant, nemo sanæ mentis ignorat. » etc. Concordat concilium Trident. sess. 7, cap. III, de *Reform.* ubi etiam circa hoc antiquos canones refert, atque innovat.

238. *Peccant mortaliter, qui nisi quos digniores, et Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent.* — Resp. II. « Alienis peccatis communicantes mortaliter peccant, qui nisi quos digniores, et Ecclesiæ magis utiles ipsi didicaverint, ad Ecclesias promovent. » Ita verbatim concilium Trident. sess. 24, cap. 1, de *Reformat.* Quorum verborum sensum cum nonnulli auctores sinistra interpretatione perverterint, Innocentius XI, in decreto, die 2 martii 1679, emanato, sequentem inter alias, ordine 47, propositionem damnavit; « Cum dixit concilium Tridentinum, eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui nisi quos digniores, et Ecclesiæ magis utiles, ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent: concilium vel primo videtur per hoc digniores non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo; vel secundo locutione minus propria ponit digniores, ut excludat indignos, non vero dignos; vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus. » Hactenus propositio damnata.

239. *Idem amplius probatur.* — Concordant sacri canones, volentes, quod eligatur dignissimus, ut can. *Metropolitano*, dist. 63,